

therus, in principio libri de abroganda missa, sibi metuens scribit: *Magnum est certe tot sæculorum consuetudini, tantæ multitudinis sensui tantorumque auctoritati reluctari. Et paulo infra sibi objicit. Tu solus sapi? Totne errant universi? Tanta sæcula ignoraverunt? Quid si tu erres, et tot tecum in errorem trahas damnandos æternaliter?* Hæc ille, perurgente conscientia sua male sibi conscia.

IV. Ex diaboli conatu, qui nequaquam, ut vult Calvinus, orbem excæcavit, ut crederet missam sacrificium; sed potius omni conatu nisus est e medio tollere missam, quando cum Luthero disputans, ipsum convicit (sicut ipse testatur, in l. de missa angulari) missam esse puram idololatram, et Lutheri sacerdotium ac consecrationem nullam. Ex qua disputatione Lutherus edoctus missam impugnavit. Jam vero quid fidei tribuendum est ejusmodi dogmati, quod diabolus invexit et Lutherum docuit? Recte quidam e religiosorum D. Bernardi familia ad Lutherum tunc scripsit: « Si missa abominatio esset, uti tu blasphemias, an putas diabolum contra eam disputaturum, et ad eam abolendam argumenta ministraturum, ac non potius modis omnibus eam stabiliturum magisque confirmaturum fuisse? » apud Florim. Raymond. l. 1. de orig. hæc. cap. XV. Sed nimirum versutus ille serpens bene noverat in s. missa omnium pene eorum, quæ pro salute nostra Christus gessit, incarnationis, s. eucharistiæ institutionis, passionis, mortis, resurrectionis et ascensionis Christi, memoriam contineri, indeque vivis et defunctis bona plurima provenire; ideo Luthero et Calvino velut paredris usus est ad missam evertendam. Verum hoc tantum opus non repente, sed paulatim et pedetentim aggressus est. Primo enim, impugnans abusum indulgentiarum, quæsivit per foramen ingredi in Ecclesiam: mox deletis omnino indulgentiis, per fenestram quodammodo irrupit: ingressus primo, vidit obstare sibi baptisterium; hoc si amoliretur, se omnia lucraturum: suavit ergo hominibus, aquam baptismalem nequaquam benedicendam; ut si postea fœteret et vermibus scateret, e templo eliminaretur et aqua fluminis introduceretur. Successit ei hoc negotium. Postea ad chorum procedens, vidit sibi obstare sacrarium eucharistiæ. Persuasit ergo suis, hanc non adorandam, quia vel figura tantum esset Christi, juxta Calvinum: vel Christum in usu tantum et sumptione contineret, juxta Lutherum. Hoc obtento proprius accedens ad altare, vidit sibi obstare missam, quominus in altaris ederet. Persuasit ergo Luthero et postea Calvino ut abrogarent missam. Hoc facto sedet super altare, et privavit homines omni

solatio, defunctos subsidio Deum suo debito, angelos gaudio, sanctos honore suo.

V. Et miraculis, quibus missam Deus velut calculo et sigillo suo approbavit. Sed quis hæc omnia enarrabit? Sane fuerunt sacerdotes, quibuscum manus divina de celo protensa visa est operari sacris, uti S. Udalricus episcopus Augustinus, apud Sur. to. IV. S. Evortius episcopus Aurelianensis, apud Sur. to. V. die 7. sept. Aliis consecrantibus visa est s. hostia immutata in carbonis micantis speciem, ut contigit S. Ignatio patriarchæ Constantinopolitano, apud Nicetam et Baron. an. 878. vel in speciem elegantis pueruli; uti visum in palatio S. Ludovici regis Franc. apud Joan. Viguer. in instit. ad christ. theol. et in calice S. Altonis, cum ab eo in missa elevaretur, ut habet ejus vita manuscripta in monasterio ejusdem, et in s. hostia quam consecravat S. Plegilus presbyter, apud Paschasium Corbeiensem, l. de corp. et sang. Domini, c. XL. aliis celebrantibus astiterunt et ministraverunt angeli, ut S. Gregorio Magno pont. S. Proculo episcopo, et martyri, S. Oswaldo episc. Vigorniensis, S. Chrysost. etc. alii mediante hoc sacrificio magna a Deo obtinere beneficia; uti expulsionem malignorum spirituum ab ædibus, apud S. Augustinum, de civit. Dei, l. XII. c. VIII. vinculorum solutionem in captivitate, apud Gregorium, hom. XXXVII. in evang. et l. IV. dial. c. LVII. et ven. Bedam, l. IV. hist. Angl. anno Domini 679. et Leont. in vita Joan. eleemosynarii, morborum, maleficiorum, dæmonum, locustarum depulsionem, etc. Exempla vide in catech. histor. Dauroiti, l. c. V. t. XXV.

VI. Ex adversariorum inanibus terculamentis, quibus a missa avertuntur. Primo, displicet illis nomen missæ, quod nullibi reperitur in Scriptura: sed hac ratione etiam, incarnationis, et Trinitatis mysterium negare debent, cum nec ista vocabula nominet Scriptura. Quod ergo S. Athanasius, in ep. de sententia Dionysii ait de voce: *Tametsi non invenerim hanc vocem consubstantialitatis in ss. litteris, rem tamen ipsam inibi deprehendi, etc.* Idem nos dicere de missa, Trinitate et similibus possumus. Vocatur autem missa, ad Hebraico et Chaldaico, missah, quod est spontanea oblatio: Christus enim oblatus est, quia voluit, Isa. XXXV. Jure autem creditur id nomen a Petro et Paulo traditum Romanis. Eo enim nomine sacrificium id appellavit Pius papa proximus apostolorum, in epist. ad Justin. Vien. in bibl. pp. et Cornelius papa, in ep. ad Lupicin. Vien. episcopum, Concilium Romanum sub Silvestro et alia; item Alexander papa I. qui fuit sextus a B. Petro, in prima epistola, quæ est ad omnes fideles. Taceo Augustinum, ser. XCI. et CCLI. de temp. Ambrosium, etc.

Secundo, displicent illis cæremonia, gestus et preces, quæ in missa adhibentur: sed immerito. Primo, quia nec ipsorum cænæ omni hujusmodi ritu carent: imitantur enim nos velut simiæ. Deinde, ritus hi substantiæ missæ non modo nihil derogant, sed decorem etiam addunt; sancti enim sunt et tanto mysterio debiti, a sanctis viris additi. Salvator noster excellentem aliquem pictorem imitatus videtur, qui prima lineamenta sua ipse manu, qua par est ubique arte describit et adumbrat, pueris deinde ac discipulis ipsam tabulam coloribus exornandam ac perficiendam tradit; qui interim unice operam dant, ne a magistri manu exorbitent. Idem factum in presenti. Esto apostoli celebrarint missam sola adhibita oratione Dominica; num ideo missa nostra quoad substantiam alia est ab illorum missa? Idem homo a teneris puer est et imberbis, octogenarius postea et canus, idem omnino ac non minus homo est, quam fuit in pueritia, tametsi valde dissimilis.

Tertio, volunt nos contentos esse solo crucis sacrificio cruento, quia habet vim infinitam et æternam. Sed hinc inferre possum, frustra etiam esse baptismum et eucharistiam, frustra fuisse sacrificia veteris legis. Ad quid enim hæc si sacrificium crucis sufficit? Respondetur ergo, sacrificium crucis sufficere et habere vim infinitam, quia non est opus ut Christus iterum moriatur, vel ejus meritis aliquid addatur: duo tamen necessaria erant, unum ut illius beneficiis essemus memores: alterum ut fructum illius in particulari nobis applicarem. Hæc duo præstat missa, non minus quam fides et sacramenta ad hoc a Christo instituta.

Quarto, objiciunt Christum esse sacerdotem in æternum, ergo non habere successores seu sacerdotes alios: sed respondetur, non habere quidem successores, habere tamen ministros et vicarios sacerdotes. Magna inter hos disparitas. Successor enim cum pari potestate mortuo antecessori succedit: at Christus jam nec moritur, nec par potestatis habet sacerdotes, sed ministros qui ei subserviant in officio sacerdotali. Quia in re typus Christi Aaron habuit inferiores sacerdotes, et levitas sibi ministrantes.

Quinto, dicunt aliud esse sacramentum, aliud sacrificium: in illo enim accipimus aliquid a Deo, in hoc vero damus aliquid Deo. Rursum sacrificium offerendum esse Deo, non comedendum ab hominibus. Sed respondeo utrumque falsum esse, ut patet in agno paschali, qui erat sacramentum simul et sacrificium: totus offerbatur Deo, et totus comedebatur a populo, idem fit in eucharistia: eam a Deo accepimus et eandem illi offerimus. Si id quod accipimus a Deo, non liceret ei offerre, nihil offerre posse-

mus; quid enim habemus, quod ab illo non habemus? Vos ergo, auditores, sinite cæcos illos et persistite in luce; in qua hactenus ambulastis. Quantum illi impugnant et oderunt missam, tantum vos eandem propugnate et amate, ad cænâ hanc vocati sæculo convenite, de ea quantum potestis et vultis participate, ut tandem aliquando cum Christo cœnetis in regno cælorum.

## CONCIO IV.

## DE DIGNITATE SACRIFICII MISSÆ.

I. Desunitur ex re oblata. — II. Ex institutore Christo. — III. Ex ejus cæremoniis. — IV. Ex ministris et circumstantibus. — V. Ex punitione contemptorum.

## THEMA.

*Homo quidam fecit cænâ magnam.* Luc. XV.

Celebratissimum est Assueri grande convivium, quod instituit primoribus regni sui et deinde civibus Susan reginæ civitatis, ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ex l. Esth. c. 1. Imprimis enim in grandi illo convivio, cibi regii apponebantur aliis atque aliis vasis, vinum abundans et præcipuum: secundo, qui instituit convivium, rex fuit potentissimus super centum septuaginta septem provincias: tertio, apparatus fuit ingens; habitum enim convivium in horto regio; pendebant ex omni parte tentoria aerei coloris et carbasini et hyacinthini sustentata funibus byssinis atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant, et columnis marmoreis fulciebantur; lectuli quoque aerei atque argentei super pavementum smaragdino et pario stratum lapide dispositi erant, quod mira varietate pictura decorabat: quarto, singulis mensis præerant singuli principes, ut sumeret unusquisque quantum vellet: quinto, regina Vasthi, quia in convivio hoc comparere jussa renuit, gravissimas penas dedit, repudiata enim a rege est, et regnum ejus alteri traditum. Omnia ista ostendunt, grande fuisse convivium, quod instituit Assuerus. Sed multo grandius fuit quod instituit in ultima cœna Christus: et primo quidem, exhibuit primoribus suis apostolis: deinde, toti Ecclesiæ, sacrificium missæ videlicet. Omnia enim illa quæ in Assueri convivio magna fuerunt, multo majora sunt in missæ sacrificio, ut apparebit per singula.

I. Desumitur hujus sacrificii dignitas ex re oblata, quæ excellit omnia munera quæcumque Deo vel olim oblata fuerunt, vel adhuc offerri possunt. Est enim ipsemet Dei Filius, qui uti in cruce obtulit se Patri in odorem suavila-

tis seu gratissimum beneficium, ita ut per hoc reconciliaret ei etiam inimicos, ita etiamnum offertur illi in sacrificio missæ, ad reconciliandum nobis cœlestem Patrem, uti nobis partim peccata, partim debitas eis remittat pœnas. Quemadmodum natura, ita et naturæ auctor consuevit ab imperfectioribus progredi ad perfectiora. Patet in creatione mundi, ubi ab elementis et inanimatis gradum fecit ad plantas, a plantis ad animalia bruta, ad his ad hominem, tamquam anacephalæosim; et epitomen omnium creaturarum. Patet etiam in sacrificiorum progressu. In lege naturæ contentus erat Deus oblatione frugum et ovicularum sine solemnitate: in lege scripta oves et boves magnique pretii victimas requisivit magna cum solemnitate et plurimis ritibus offerendas: tandem in lege nova instituit victimam victimarum, Christum, in sacrificio missæ, qui cum per priores victimas adumbratus fuerit, et omnia creata munera in infinitum superet, merito finem imposuit veteribus sacrificiis. Ut enim stellæ omnes reconducuntur advenientem sole, quod ab ejus lumine nimium excedantur: ita sacrificia alia cessarunt, cum hoc magnum instituit Dominus. Unde merito dicere Christo possumus: *Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc*, sic enim Zach. IX. de illo prædictum fuit: *Quid est bonum ejus et quid pulchrum ejus (Christi) nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines?* q. d. nihil habuisse Christum melius quod offerret Patri et nobis offerendum relinqueret, quam seipsum sub speciebus panis et vini. Et hinc est, quod ejus sacrificii contemplatione, nauseam quodammodo cepit veterum sacrificiorum Deus, sic namque dixit Malachias, c. X. *Non est mihi voluntas in vobis* (videlicet sacerdotibus antiquæ legis) *dicit Dominus exercituum et munus non suscipiam de manu vestra, Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Quem locum, de eucharistia interpretantur ss. patres, Irenæus, Cyprianus, Augustinus, Justinus. Quemadmodum ergo si cui imprimis dentur aliqui nummi cuprei, postea monetæ argentæ, et tandem aureus ducatus: tum is hoc accepto spernet reliquas monetas et libenter pro ducato dabit, quia hic illas continet et multo adhuc plures. Ita quia sacrificium novæ legis vetera omnia continet, et multo adhuc plus, ideo Deus illa fastidire cepit et solo hoc delectatur. Unde Ps. CLX. David de nostro sacrificio longe aliter loquitur: *Juravit Dominus et non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Quem locum de Christi sacerdotio interpretatur apostolus ad Hebr. VII. Cum enim præstantius

et Deo acceptius excogitari et esse nequeat in æternum, quam ipsemet Dei Filius: quomodo potest Deum pœnitere vel tædere hujus sacrificii?

II. Ex institutore Christo, qui primus in ultima cœna sacrificium hoc obtulit et offerendum instituit, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* In qua re typus Christi fuit Melchisedech rex Salem, qui victori Abrahæ, proferens panem et vinum obtulit Deo in gratiarum actionem pro victoria obtenta, eo quod esset sacerdos Dei altissimi quod de Christo prædixit David, Ps. CLX. et exponit apostolus, Hebr. VII. Hanc ergo figuram implevit in ultima cœna Christus. Repræsentavit autem Melchisedech Christum aptissime quoad multa. Primo, Melchisedech fuit rex Salem, id est, pacis, et Christus Isaïæ IX. vocatur *princeps pacis*: secundo, Melchisedech fuit rex et sacerdos (non ita Aaron), sic etiam Christus: tertio, Melchisedech fuit sacerdos quidam universalis, non unius gentis tantum (non ita Aaron), ita Christus universalis sacerdos, Hebræorum et gentium: quarto, Melchisedech fuit sacerdos quasi æternus, sine patre et matre, sineque successore, ad Hebr. VII. quia scilicet ejus parentela non describitur (non ita Aaron); ita Christus sine patre ut homo, sine matre ut Deus; item sine successore et sacerdos in æternum, quia ut principalis offerens solus est, nec habet successorem aut antecessorem. Quamvis enim elegerit sacerdotes, voluit tamen eos esse sua instrumenta: seipsum vero facere officium præcipui sacerdotis: *Unde et salvare in perpetuum potest*, ait apostolus ad Hebr. VII. *accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis ad Deum.* Quoties ergo sacerdos celebrat, toties Christus de cœlo manum suam ad eum protendit, ipsius quasi manum ducens et cum ipso ut præcipuus sacerdos offerens; (quoniam ipse est offerens et oblatum.) Quis enim rem tantam facere sine tali manu ductore posset? Ita sacrificanti S. Udalrico, in die paschæ, dextera Dei superna apparuit cum illo sacrificans, apud Sur. to. IV. Unde S. Chrysost. hom. LX. ad pop. ait: *Verum et tu, laice, cum sacerdotem videris offerentem, ne ut sacerdotem esse putes hoc facientem, sed Christi manum invisibiliter extensam.* In cujus rei signum, cum sacerdos consecrat, non suo, sed Christi nomine loquitur, et ipse Christus per os sacerdotis dixit: *Hoc est corpus meum.* Nec satis esset, si diceret: Hoc est corpus Christi; quia tunc loqueretur nomine suo, et non supremi sacerdotis, quæ rem adeo gloriosam per creaturam adeo vilem perficit. Et propterea non habet opus aliis sacerdotibus, ut Aaron successoribus sed tantum ministris,

qui visibiles esse debebant (Christus enim in cœlo existens nobis invisibilis est), cum sacrificium etiam sit visibile. Unde apparet sacrificium ipsum quoad substantiam nihil amittere de sua dignitate et puritate, licet minister sit improbus: sicut Scriptura quam facit ludimagister ducens manum rudi puerulo, non est deterior ea quam facit ducens manum alteri scribendi gnaro. Velsicut eleemosyna quam sanctus aliquis dominus largitur, nihil propterea amittit, quod famulus ejus, per quem eam pauperi largitur, improbus sit. Quare missa mali sacerdotis non est deterior missa boni sacerdotis: nec ea quæ modo fit, illa, quam Christus in ultima cœna fecit; quia ut S. Chrysost. hom. II. in II. Tim. et hom. XVII. ad Hebr. ait: *Idem Dominus utramque facit.* Solum hoc interest, quod oblatum a Christo solo tunc fuit meritum et satisfactorium, quia adhuc erat in statu viatoris: nunc autem non amplius meretur nobis, sed amplificat tantum nobis sua merita per missam.

III. Ex variis ritibus et cæremoniis, quæ ad missæ celebrationem ex præcepto vel consuetudine Ecclesiæ adhibentur. Nam primo, celebratur tantum in lingua Latina (extra Græcam) non modo ad designandum unitatem Ecclesiæ, sed etiam ob majestatem et dignitatem lingue Latine: et ne res tanta vilipendatur.

Ea vero composita est a sanctissimis viris ex verbis prægnantissimis et piissimis. Ordinem et formam celebrandi tradidisse dicitur S. Jacobus Minor, episcopus Jerosolymitanus, cui serviebat Sanctus Stephanus, de consecr. d. 1. c. Jacobus: postea, Basilius episcopus Cæsariensis exactiorem tradidisse: demum, a sanctis pontificibus addita paulatim augmenta: psalmum *Judica me Deus*, in principio missæ recitari solitum, a Pontiano papa institutum scribit Bern. I. de officio missæ, c. XXV. introitum a Cœlestino papa, vult Alcuinus; Kyrie eleison in liturgia Jacobi habetur: nonies ut repeteretur, instituit S. Gregorius Magnus papa: Gloria in excelsis Deo cantari cœpit in missa Telesphori papæ, ut refert Damasus, in pontificali, c. IX. mos dicendi Dominus vobiscum, ab ipsis apostolis fluxit, teste Concilio Bracharensi, II. cap. XXI. alii eum Soteri vel Anacleto adscribunt, alii alia addiderunt fragmenta, pene omnes sancti pontifices.

Secundo, nonnisi congruo tempore, ab aurora, scilicet usque ad meridiem. Auroræ autem tempus censetur hora circiter et media ante solis ortum. Ita docet D. Thomas, p. III. q. LXXXIII. a. II.

Tertio, non celebratur nisi loco sacro et ad celebrandum peculiariter destinato, uti in ecclesia: in cappellis vero et oratoriis non conse-

cratis, vel etiam domibus privatis nonnisi de licentia episcopi. Debet vero ecclesia esse non violata homicidio, sanguinis vel seminis humani effusione, sepultura hominis excommunicati vel incendio aut ruina notabili.

Quarto, nonnisi super lapideo altari ab episcopo consecrato et sanctorum reliquiis munito, nec nisi super duabus saltem mappis lineæ, additoque insuper corporali ab episcopo benedicto, Scap. Si per negligentiam, de consecr. d. II.

Quinto, nonnisi in vestibus et vasibus sacris, iisque mundissimis. Eæ autem vestes debent itidem benedictæ esse, calix nonnisi aureus vel ad minimum ex stamno esse debet, ab episcopo sacris ritibus consecratus, cap. Vasa, c. Ut calix, de consecr. d. 1.

Sexto, non sine imagine crucis; de quo quidem non extat canon, (unde nec mortale peccatum foret sine ea celebrare) constitutum tamen est in cæremoniis et regulis missalis.

Septimo, non sine luminaribus duobus, capite ult. de celebrat. missæ; candelæ autem cereæ esse debent.

Octavo, non sine ministro, ut præcipit Concilium Moguntinum, 1. c. XLIII. isque vir sit, non femina, ut præcipitur, c. 1. De cohabit. cler. et mulier.

Quibus omnibus Ecclesia non tantum insinuat mysteria certa, sed imprimis dignitatem hujus sacrificii. Ut enim rex in suo palatio vult omnia se digna, palatium nitidum, famulos forma et vestitu nitidos, vestes nitidos, mensas et lectos nitidos, etc. sic Christus in sacrificio.

Nono, non celebratur præsentibus penitentibus publicis et excommunicatis. Nam: *Quemadmodum ad mensam accumbente hero*, inquit S. Chrysostomus, hom. III. in c. Ephes. 1. *non licet iis, qui illum offenderunt inter ministros adesse, sed e medio abiguntur: ita et hoc loco, dum offertur oblatio, dum Christus atque agnus ille immolatur, scilicet qui in peccatis sunt, primum ejiciuntur.* Sanè mortui sæpe, non absoluti ab excommunicatione, surgere ad vocem ejicientis excommunicatos et exire de ecclesia visi sunt, ut in vita S. Gothardi episcopi Hildesheim. Cum enim eo jubente abscedere excommunicatos de missa illi remanerent, mortui aliqui surgentes exierunt: unde pudore suffusi etiam viventes exierunt. Tunc revocatos mortuos absolvit, et ad tumulos suos revocavit. Quod alias sæpius contigisse scribit Raderus, p. 1. viridarii a fol. LIV. usque LXII.

IV. Ex ministrorum et circumstantium præstantia. Nam imprimis de S. Chrysost. scribit discipulus ejus, S. Nilus ad Anastas. episcopum: «Sæpe vidit in ecclesia angelos, sed maxime

tempore sacrificii missæ. Itaque admiratione et lætitia plenus amicis multum spiritualibus seorsum narrabat: quemadmodum cum sacerdos oblationem sanctam facere inciperet, plurimi angeli a cælo delapsi splendidissimis stolis induti, nuda fronte, aspectu intento, vultu demisso circumstantes altare magna reverentia et quiete ac silentio usque ad ministerii consummationem assistunt. Deinde, discurrentes huc atque illuc per totam ecclesiam episcopos et presbyteros, qui corpus et sanguinem distribuunt, adjuvant et corroborant. » Tunc addit: « Hæc scribo ut intelligentes quanti tremoris sit divina missa, nec ipsi remissi timorem Dei negligatis, nec ullos alios loqui aut mussitare tempore oblationis, neque innuere audacter, aut a statu gravitatis dimoveri, neque huc atque illuc circumspicere aut ignave et disperse vagari permittatis. » Sic ille. Ipsemet S. Chrysost. testis oculatus, l. VI. de sacerdotio scribit: « Per id tempus angeli sacerdoti assident, et celestium potestatum universus ordo clamores excitat, et locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, angelorum choris plenus est. Vidit enim senex quidam admirabilis eo tempore angelorum multitudinem fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circumdantium atque sic capite inclinatum, ut si quis milites præsentem rege stantes videat. » Cyrillus etiam in vita S. Euthymii abbatis scribit eum sæpe vidisse sacrificantem, et angelos secum Deo ministrantes et sacra contrectantes. S. Basilius sacrificium non peragebat, nisi divina visio ei ostenderetur, ut testatur Amphilochius, in ejus vita. Idem S. Gudwalus archiepisc. et alii. S. Ambr. super cap. 1. Lucae ait: « Non dubites assistere angelum, quando Christus assistit, Christus immolatur: » et v. Beda super Lucam ait: « Sicut posito in sepulchro corpori Christi angeli adsitisse leguntur, ita etiam tempore consecrationis Dominici corporis assistere sunt credendi. » Et cur hoc non facerent angeli? Num satis sibi esse existimabunt, quod sciant ipsum in terra habere ministros qui ei assistant? Annon et ipsi quoque descendent ut socios se eis præbeant? Quando Christus in carne mortali venit in hunc mundum ut cruci affigeretur, descendit certe multitudo militiæ celestis laudantium eum magnaque cum lætitia dicentium: Gloria in altissimis Deo, etc. quid igitur nunc facient, eodem suo rege veniente glorioso in carne immortalis, ut novo quodam et stupendo modo in altari sacrificetur? *Omni dubio procul* (ait S. Gregorius, lib. IV. dial. c. XXXVI.) *in ipsa hujus sacrificii hora et ad verbum sacerdotis cæli aperiuntur et angeli descendunt, ut tanto huic mysterio Jesu Christi Dei et Domini*

*nostri assistant.* Quinetiam angeli ad missam ministrasse quandoque leguntur. Cum enim aliquando S. Gregorius Magnus die paschæ in templo S. Mariæ majoris celebraret et: *Pax Domini sit semper vobiscum*, dixisset, angelus Domini alta voce respondit: *Et cum spiritu tuo.* Propter quod papæ ipsa die ibidem celebranti et: *Pax Domini, etc.* dicenti nihil responderetur, inquit Joan. diaconus, in vita S. Gregorii. S. Oswaldo episcopo Vigorniensis legitur angelus sacrificanti ministrasse officiose et ad singula respondisse in ejus vita: similiter f. Joanni de Parma generali Franciscanorum, in eorum chron. to. II. l. 1. c. LVII. Hinc multi magnates honori sibi ducebant, ministrare sacrificantibus, uti Thomas Morus b. m. Angliæ cancellarius, S. Wenceslaus Bohemiæ rex non contentus sacrificio missæ quotidie interesse, etiam messis et vindemiæ tempore, oblitus quasi dignitatis suæ, metebat et vindemiabat, quæ pro sacrificio sacerdotum manibus offerret. Refert. Tymp. in speculo magistr. p. II. sig. XXIII. Denique, etiam ovicula S. Coletæ et S. Francisci ingressa ecclesiam missæ assistebat magna cum modestia, et elevationis tempore in genua nixa non ante finem surgebat, Surius, in eorum vita. Olim Christianos sub missa manibus in crucis formam expansis orasse, testatur S. Chrysost. hom. LXIX. ad pop. Antioch. Et quid mirum? Si enim tempore sacrificii veteris, teste Eccli. c. L. (*Omnis populus simul ceciderunt in faciem adorare Dominum,*) quanto magis hoc decet facere nos sub missa.

V. Ex punitione reproborum, qui missam contempserunt; non enim sine causa vocatur missa a S. Chrysost. hom. LXIX. ad pop. Antioch. *tremendum sacrificium: item horrore et reverentia plenissimum*, l. VI. de dignit. sacerdot. cap. IV. Exemplo sunt imprimis pueri quidam pastorii in Gonago Apamiæ agro, qui per jocum erigentes altare, sacrificii ritus imitantes panem et vinum consecrare conabantur: ubi mox ignis de cælo lapsus, altare et omnia superposita consumpsit, et pueros omnes ita examinavit ut velut mortui corruerint et verbum nullum ante diem sequentem loquerentur. Ad quem locum postea accedens episcopus, eo quo saxum fuerat loco in æternam rei memoriam ecclesiam ædificari curavit et pueros in monasterium intravit. Refert. Jo. Eviratus, in prato spirif. ad Sophr. c. 1. XCVI. In oppido Hardewicensi non procul ab urbe Campensi, cum hæreticus quidam, missæ illusor, panis frustulum super verticem erigeret, repente totus obrigescens vitam misere finiit. Refert Costerus, III. p. conc. III. Aliâ plura recenset Til. Bredebachius, l. 1. collat. sacr. Inter alia, cap.

LXIV. narrat in civitate Hollandiæ Gonda nomine, anno 1572. contigisse, ut dum catholicus quidam civis graviter decumberet, irriderent eum Calvinistæ quidam dictitantes per ludibrium, se missam illi dicturos, quo suavius defungi posset. Nec mora; quidam ex illis Hermannus Aldareich profert habitum et cætera missæ paramenta, adornatur diaconus et subdiaconus, canitur introitus et cætera. Ubi perventum ad agnus Dei, nuntium affertur sacrificanti, uxorem ejus coarctari doloribus partus. Ille protinus excusso habitu, festinus domum se proripiens, inter eundem audit uxorem enixam esse gemellos: sed domum ingressus reperit extinctos, et uxorem cum morte conflictantem, ac paulo post defungi videt; ipse quoque postridie peste corripitur, cum omnibus qui missæ ludicræ cooperabantur et adstantibus catholicis convalescit.

## CONCIO V.

TRIPLES EXCUSATORES IN QUADRUPLI COENA, PENITENTIARIA, EVANGELICA, EUCHARISTICA, BEATIFICA.

I. Coena penitentiaria, et excusatores: 1. Qui villam emit. 2. Qui juga boum. 3. Qui uxorem duxit. — II. Coena evangelica fidei et excusatores: 1. Ob jacturam honoris sui. 2. Ob dispendium bonorum temporalium. 3. Ob propinquos. 4. Prædicantium terribilitatem. — III. Coena eucharistica et excusatores: 1. Ob negotiationes. 2. Ob lites et contentiones. 3. Ob conjugium. — IV. Coena beatifica et excusatores: 1. Superbia. 2. Avaritia. 3. Gula et luxuria dediti.

## THEMA.

Rogo te, habe me excusatum. Luc. XIV.

Ante octiduum, auditores, vidimus in cælo ternarium omni veneratione colendum et amandum, Deum scilicet Patrem et Filium et Spiritum sanctum, sanctissimam Trinitatem. Hodie occurrit nobis ternarius in mundo, sed omni execratione dignus, fuga et odio prosequendus: tres nimirum invitati ad celestem cœnam, sed mundo addicti, et quominus venirent, vanissime se excusantes. Primus ait: *Villam emi: secundus: Juga boum emi quinque, rogo te habe me excusatum: tertius: Uxorem duxi et ideo non possum venire: omnes a cælo exclusi et ad orbem relegati, quia bona terrena, cæteroque non illicita cælo præposuerunt.* Atque hic est ternarius ille diabolicus, quem describit S. Joannes, ep. 1. c. II. dicens: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum (hoc est avaritia) et superbia vitæ.* Quid enim emptor villæ nisi superbiam, quid emptor boum nisi avaritiam, quid uxoris amā-

tor nisi concupiscentiam carnis in sinu suo gestavit verbisque suis prodidit? Hæ sunt tres universales nassæ, quibus dæmon infinitos homines velut pisces capit et a celesti cœna retrahit. Hæ sunt tres illæ lanceæ Joab, quibus pendulum transfixit Absalonem, II. Reg. XVIII. His confixit diabolus primos nostros parentes in paradiso: concupiscentia carnis cum persuasit eis comedere de ligno vetito: concupiscentia oculorum, cum eis falso promisit: *Aperiantur oculi vestri: superbia vitæ cum eis falso item pollicitus est: Eritis sicut dii.* His denique configere in deserto ipsum Christum nisus est: concupiscentia carnis cum ait: *Dic ut lapides isti panes fiant: superbia vitæ, cum ait: Mitte te deorsum, scriptum est enim: Quoniam angelis suis mandavit de te: concupiscentia oculorum, cum ostendit ei omnia regna mundi dicens: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Pessimus hic ternarius totus quantus est, contrarius est ternario Sanctissimæ Trinitatis. Concupiscentia oculorum seu avaritia Deo Patri, qui totam suam divinitatem communicat Filio et Spiritu sancto essentialiter, creaturis vero participative: superbia vitæ Dei Filio, qui pro nobis formam servi induit, omnium infimus factus et crucifigi non abhorruit: concupiscentia carnis Spiritui sancto qui est amor castissimus, sanctissimus, omnisque obscenitatis hostis acerrimus. His tamen omnibus insuper habitis plurimi sunt, qui relicto sanctissimo et divino hoc ternario ad execrandum et diabolicum illum ternarium concedunt et cum vanissimis illis excusatoribus vanissime se excusant a pluribus Dei cœnis. Videamus.

I. Coena, quam reperio in ss. litteris, est coena penitentiaria. De hac scribit S. Joannes in persona Christi ad episcopum Laodiciæ, Apoc. III. *Ecce sto ad ostium et pulso: si quis audiverit vocem meam et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo et ipse mecum.* Pulsat Deus per gratiam excitantem cor peccatoris, querens intrare ad illum per gratiam habituatam, eumque reflexere sua visitatione et amicitia; cujusmodi convivium habuit cum Matthæo et Publicano recens conversis, et pater ille cum filio suo prodigo. Fereula hujus describuntur ab apostolo ad Rom. XIV. *Justitia et pax (conscientiæ) et gaudium in Spiritu sancto.* Verum quid agunt multi homines? Aliqui audiunt pulsantem Deum, sed non aperiunt; alii etiam fortius obserant fores, et profundius indormire peccatis suis incipiunt, ne vocem pulsantis audiant; alii denique contemnunt et irrident pulsantem, suntque prorsus surdi ad divinas vocaciones, adeoque fere desperati. Qui tres peccantium gradus non obscure insinuatur